

VI
V.16450
c. 13

80 br

16750. VI. V. C. 2.

✓

JU

R

Re

D

DI
R

IN

Pro

H

TYE

V

DISSERTATIO

IN AUGURALIS JURIDICA,

D E

JUSTITIA PLACETI REGII,

QUAM EXANTLatis

EX OMNIGENA JURISPRUDENTIA QUATUOR
EXAMINIBUS RIGOROSIS

AUTHORITATE ET CONSENSU

Reverendissimorum, & Illustrissimorum, Perillustrium, Magnificorum, Spectabilium, Prænobilium, Clarissimorum ac Consultissimorum Virorum,

Reverendissimi, Perillustris ac Magnifici,

DOMINI RECTORIS,

Perillustris, Magnifici, ac Consultissimi

DOMINI DIRECTORIS,

Perillustris ac Spectabilis

DOMINI DECANI,

DD. PROFESSORUM, SENIORUM, SAC. CÆS.

REG. ET APOST. MAJESTATIS CONSILIARIORUM,
REFERENDARIORUM, ASSESSORUM ET DOCTORUM;

Adeoque totius amplissimi

DE JURISCONSULTORUM COLLEGII

IN ANTIQUISSIMA, AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE
VIENNENSI

*Pro consequenda Doctorali Juris Laurea publicæ Eruditorum
Disquisitioni submittit*

ANTONIUS REMIZ,

CARNIOLUS DE COMMENDA S. PETRI

IN MAGNO UNIVERSITATIS PALATIO

Hora III. Die Mensis Maji MDCCLXXIV




VIENNAE,

TYPIS JOANNIS THOMÆ NOB. DE TRATTNERN,
SAC. CÆS. REG. AVL. TYPOGR. ET BIBLIOP.


V. G. 1774.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
1892
PHYSICS DEPARTMENT
CHICAGO, ILL.
1892

1N=03000696T



I.



DISSERTATIO JURIDICA
DE
JUSTITIA PLACETI REGII.

§. I.



ui genus humanum & temporali
(a) & æterna (b) felicitate frui,
atque ideo mundum universum
duplici potestate (c) politica (d) scilicet,
& ecclesiastica (e) utraque omnimode in-
dependente (f) regi voluit DEUS, ejus
sapientiæ convenientissimum erat utram-
que ita instruere, ut ad finem suum obti-



nendum sufficerent, sicque actibus propriis, & dignitatibus distinctis officia utriusque discernere S. GELASIUS PAPA I. tract. de anathematis vinculo. NICOLAUS PAPA I. in epist. 8. ad Michaellem Imp. ut altera alteram in mediorum naturæ finis congruentium — usu minime impediret (g).

Ne quid precario sumere, atque inde tamquam ex confecto ratiocinari videar, singulorum in comate assertorum principia sufficientia suppeditabo.

(a) Temporalis felicitas in securitate, atque humanæ vitæ sufficientia consistit, in quæ cum homines stimulo quodam naturali ferantur, quem recta ratio adprobat, dubium non est, quin DEUS genus humanum felicitate temporali frui velit, quod & SS. Literæ confirmant PSALM. CXXVII. v. 2. DEUT. XXVIII. v. 8. III. Reg. IV. v. 20. & 25. II. ad TIMOTH. II. v. 1. conf. cl. de RIEGGER Inst. Jurispr. eccles. sect. I. cap. 4. §. 154. Cl. de MARTINI Posit. de jure civit. cap. I. §. 9. & seq.

(b) Leges naturales, si earum præmia atque pœnæ ultra vitæ hujus terminos non pertinerent, injustæ essent propter defectum sanctionis sufficientis, quod divinæ sapientiæ repugnaret.

Quare



Quare ipsa recta ratio futuræ vitæ felicitatem agnoscit, cujus æternitatem divina revelatio in plena luce posuit. *Quia descendi de cælo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* JOAN. VI. v. 38. *Hæc est autem voluntas Patris, qui misit me, ut omnis, qui vidit Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.* ibid. v. 40. Adde MATH. XVIII. v. 11. LUCÆ III. v. 49. IV. v. 18. conf. cl. de MARTINI Exercit. de leg. nat. cap. 2. § 94. cl. de RIEGGER inst. jurispr. eccles. sect. 1. §. 6.

(c) *Amarias Sacerdos & Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit, porro Zabadias filius Ismael, qui est dux in domo Juda, super ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent,* PARALIP. II. v. 19. *Duo sunt Imperator auguste, quibus principaliter mundus hic regitur auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas.* S. GELASIUS Papa I. in epist. ad Anastasium Imp. Adde omnino GREG. VII. lib. I. epist. 19. JUSTINIAN. Novell. VI.

(d) SAP. VI. v. 2. & 4. *Audite ergo reges, & intelligite, quoniam data est a Domino potestas vobis.* Adde loca LUCÆ XX. v. 25. Ad TITUM III. v. 1. I. PET. II. v. 13. TERTULL. Apost. cap. 30. CHRYSOST. Homil. 13. AUGUSTIN. lib. 5. de civit. Dei cap. 25.

(e) ACT. APOST. C. XIV. v. 16. *Attendite vobis & universo gregi, in quo Spiritus sanctus vos posuit regere Ecclesiam DEI.* Adde JOAN. C. XX.



v. 21. MATH. C. XVIII. v. 18. *Scis Imperator, inquit GREGORIUS II. Papa in epist. ad LEONEM ISAVRUM, sanctæ ecclesiæ dogmata non Imperatorum esse: sed pontificum, quæ tuto debent dogmatizari, idcirco ecclesiis præfecti sunt pontifices a reipublicæ negotiis abstinentes, & Imperatores ergo similiter ab ecclesiasticis abstineant, & quæ sibi commissa sunt, capebant.*

(f) Fines harum potestatum invicem prorsus sunt independentes, etenim nec temporalia qua talia spiritualium, nec spiritualia qua talia temporalium rationem continent, sine quo dependentia non intelligitur. Quare nec potestates ad distinctos istos fines obtinendos tendentes ullatenus sibi obnoxie esse possunt. Atque CHRISTUS a spirituali, quam fundavit potestate, politicam nullatenus dependere aperte docuit, dum dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* JOAN. VI. v. 15. *Homo quis me judicem constituit, aut divisorem super te.* LUCÆ XII. v. 14. Cumque Apostolis futuras persecutiones prædixit, nihil præter patientiam illis inculcavit. LUCÆ XXI. v. 19. Quid quod DAVID, *tibi soli peccavi*, exclamando se nullius prorsus in hac terra judicio obnoxium esse agnovit, quod lege evangelica sublatum non est. MATH. V. v. 17. Conf. cl. de RIEGGER inst. jurispr. eccl. sect. I. cap. 4. §. 184. & seq.

(g) Sunt hæc mutue independentie, atque divinæ sapientie consecraria, quæ omnia ad fines suos idonea exigit, atque ab omni dissensu abhorret.



§. II.

Quāquam autem sacrorum potestas, qualis Christi legislatione primum — innotuit, illorum tantum est propria, quos is in universum mundum evangelium prædicare misit positos a Spiritu sancto regere ecclesiam DEI §. I. Id tamen certum est, summos civitatum imperantes ecclesiæ christianæ defensores existisse (a) omniaque illa religionem concernentia jura facta, tecta retinuisse, quæ ante Christi adventum summo imperio cohæserunt. (b) Illa sunt advocatiæ ecclesiasticæ (c) hæc vero majestatica jura. (d) In quorum complexu omnigenum jus circa sacra Imperantis civilis consistit (*), atque ut omnis generatim potestas, legislatione, inspectione, & executione (e) continetur.

(a) Sanctus LEO Papa epist. 81. *Debes Imperator incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad ecclesiæ præsidium collatam.* Adde CAUS. 22. QUÆST. 5.



Can. 21. S. AUGUSTIN. contra Cresconium
lib. 3. cap. 51.

(b) Patresfamilias in statu naturali ad urgendam officiorum erga Deum custodiam, seu ad promovendum in familia Dei cultum obligatos fuisse nemini non constat, hinc est, cur Melchisedechus, aliique in sacris literis summi sacerdotes scilicet in familia sua fuisse dicantur. Hæc jura in civitate summo imperio insunt, & quidem etiam post adventum Christi, quia non venit *solvere, sed adimplere legem.* MATH. V. v. 17. Quare Reges, inquit S. AUGUST. contra Cresconium lib. 3. cap. 51. *in hoc sicut eis divinitus præcipitur, DEO serviunt in quantum reges sunt, si in regno suo bona jubeant, mala prohibeant, non solum quæ pertinent ad humanam societatem, verum etiam quæ pertinent ad divinam religionem.* Conf. cl. de RIEGGER Inst. Jurispr. eccles. sect. 2. cap. 8. Cl. de MARTINI Posit. de Jure civit. cap. 8.

(c) Hæc enim jura ex obligatione ad *defensionem* Cauf. 22. Quæst. 5. can. 21. *custodiam,* JUSTINIAN. in epist. ad Synod. Constantinop. ap. HARDUIN. Tom. 3. *præsidium* ecclesiæ intelliguntur S. LEO Papa epist. 81.

(d) Quidquid in statu naturali juris circa officia erga Deum imperio patrumfamilias cohæsit, id omne in civitatibus Majestate comprehenditur, atque adeo jus majestaticum est.

(e) Nulla



(e) Nulla enim est potestas, quæ non eâ contineat omnia remedia, sine quibus finis consecutio esset impossibilis, quod etiam intuitu religionis christianæ verum est. *Serviunt enim Reges Christo etiam leges ferendo pro Christo*, ait S. AUGUSTINUS. *Nec res aliter tutæ esse possunt, nisi quæ ad divinam confessionem pertinent*, & REGIA, & sacerdotalis defendat auctoritas. S. LEO Papa apud Gratian. caus. 22. Quæst. 5. can. 21. Adde S. AUGUSTIN. lib. 5. de civitate Dei. Eius epist. 182. ad BONIFACIUM. EUSEBIUM de vita Constantin. lib. 1. cap. 37. Epistolam THEODOSII ad Synod. Ephes. ab ea adprobatam. Conf. cl. de RIEGGER, Inst. Jurispr. eccles. sect. 2. cap. 8.

(*) Quid si jus imperantis circa sacra dixissem *jur majesticum circa officia erga Deum religioni christianæ attemperatum*, sed nec plus, nec aliud dixissem, quam in ipso comate dictum est.

§. III.

Potestatis civilis omnimode independentis est civibus felicitatem temporalem procurare §. I. Quæ cum modis & obtineri, & turbari possit innumeris, confectum est, imperantem civilem omnibus ejus sive procurandæ, sive contra quasvis turbationes etiam futuras tuendæ juri-



bus instructum esse, nisi obligationem ad finem sine jure ad media comminisci velimus.

JEREM. XXII. v. 1. & 3. *Descende in domum Regis Juda & dices: Hæc dicit Dominus: Facite judicium, & justitiam, & liberate oppressum de manu calumniatoris: & advenam, & pupillum nollite contristari, nec opprimatis inique.* II. ad TIMOTH. II. v. 1. *Obsecro primum fieri omnium obsecrationes, postulationes gratiarum actiones pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus.*

S. JOAN. CHRYSOST. Homil. XXIII. in epist. ad Rom. *Hæc magistratuum vita est, hoc studium, ut pace fruaris, ideo in alia epistola non solum illis subditos esse, sed etiam pro illis precari jubet, ut placidam, & quietam vitam agamus: si illos auferas, omnia abscedent, nec civitates, nec vici, nec domus erunt, nec forum,*

nec



nec aliud quidpiam stabit, sed omnia subvertentur potentioribus inferiores devorantibus.

§. IV.

Quæ temporalis civium felicitas ipsis etiam legibus ecclesiasticis optimo licet legislatorum ecclesiasticorum animo conceptis turbari potest (a); quid, quod indubia historiæ fide constet, legislatores ecclesiasticos potestatem suam in objecta extra sphaeram suæ legislationis posita exercuisse (b), & sub legum ecclesiasticarum nomine in regnis sæpe comparuisse constitutiones, quæ salutem eorum in flebile discrimen adduxerunt (c).

- (a) Legislatores ecclesiastici systema civitatis non perspiciunt. II. TIMOTH. V. 2. quid ergo facilius, quam ut constitutiones condant, quibus, si obligarent, membra corporis civilis in obeundis nativis suis functionibus impedirentur. Num aliquo sui momento id genus constitutiones valebunt? Officia certe erga Deum adfirmativa officiis erga nos necessitatis aut evidentis utilitatis posthabenda esse ratio dicitur: atque hinc Christus legis divinæ de Sabbatho sanctificando contra Phariseorum præ-



prævaricationes nullam rationem habendam esse docuit, si de homine vel etiam de animali fervando agatur, an aliud in civitatis necessitate, vel evidenti utilitate statui poterit?

(b) Potestas ecclesiastica tota quanta est ad unam salutem æternam comparata est §. I. Quare nemo non videt *Canonem Concilii CHALCEDONENSIS* *Caus. 14. Quæst. 1. can. 17. relatum*, *Constitutionem PELAGII Pontificis cit. Caus. & Quæst. can. 18. Canonem Concilii BRACHARENSIS* *Dist. XLV. can. 8. Canonem Concilii LATERAN. cap. 7. de JUD. ET SARACEN. Decretum LIBERII Papæ, quod est CAUS. XXIV. Quæst. I. CAN. 32. GREGORII in can. 22. CAUS. XVII. Quæst. III. ALEXANDRI II. can. 22. CAUS. XVII. Quæst. IV. CONCILII TRIDENTINI SESS. XXIV. cap. 6. & SESS. XXV. cap. 19. de reform. INNOCENTII III. in cap. 13. DE HÆRET. cap. 34. DE BLECT. CLEMENT. UNIC. de jurejurando. CLEMENT. II. in fin. de sent. & re judic. EXTRAVAG. COM. de majorit. EXTRAVAG. super re de consuet. EXTRAVAG. JOAN. XXII. si fratrum ne sede vacante, inter eas constitutiones pertinere, quæ minime circa objecta legislationis spiritualis versantur, atque omnem si quam habent roboris firmitatem ex principum civilium indulgentia habere. Qui plura ejusmodi videre cupit, adeat GIBERTUM *Proleg. P. post. Tit. IX. p. m. 58.**

(c) Ex ingenti ejusmodi constitutionum turba unam tantum, alteramve adferam. Ad has
con-



constitutiones non ad ædificandum in charitate natas merito referas illam BONIFACII VIII. cap. 3. de immunit. eccles. in VI. quam CLEMENS V. Papa in Concilio Viennensi revocatione dignam censuit, & actu revocavit ingenue confessus ex ea nonnulla scandala, magna pericula, ac incommoda gravia esse secuta, & ampliora sequi posse, nisi celeri remedio succurratur. Idem sub CLEMENTE XIV. Pontifice actu ecclesiam sapientissime moderante illa, cui de COENA DOMINI nomen est, bulla fatum experta esse videtur, quod jam dudum optarunt ii, qui quid *Cæsari*, quid *Deo* reddendum sit, recte perspiciunt. Adde bullam CLEMENTIS XI. Papæ, quam JOSEPHUS I. eddita constitutione cassavit, PET. DE MARCA *Concord. sacerdot. & imp. lib. I. cap. I.* ESPEN. *tract. de promulg. leg. eccles. Part. I. cap. 3.*

§. V.

Atque hinc jam nulla difficultate colligitur necessitas, justitia, & æquitas doctrinæ de PLACETO REGIO, seu de jure imperantis civilis, ne quæcunque lex ecclesiastica sine ipsius præscitu, inspectione, consensu, atque alio, quam quem is civitati haud noxium arbitratus fuerit, modo promulgetur.



Age subducamus rationes : Imperans civilis salutem temporalem subditis procurare tenetur , & quidem iudicio nemini in terra obnoxio. §. 1. Quare ad omnia ea jus habeat oportet , quæ sunt media eam contra turbationes quascunque etiam futuras tuendi §. 3. cum vero huic temporali civium saluti etiam constitutionibus ecclesiasticis noceri posse constet, §. 4. necesse est imperantem etiam eatenus salutis publicæ impedimentis occurrere , quod alia ratione fieri nequit, quam legibus ecclesiasticis ante ipsarum promulgationem principi politico remonstratis. Præsertim cum verum fit :

*Principiis obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluerit moras.*



§. VI.

Quod jus summis civitatum rectoribus competere, & Christi, Apostolorumque exempla docent (a) & conciliorum, atque S. S. patrum testimonia abunde confirmant (b).

(a) *Ecquis ignorat, Christum, & apostolos in suæ, & traditæ, & tradendæ doctrinæ ratione, siquæ a regibus, præsidibus, atque iudicibus peteretur LUCÆ XII. v. II. JOAN. XVIII. v. 37. ACT. APOST. XXIV. v. 10. usque ad 21. nunquam refractarios fuisse, ut remonstrarent, nihil in sua doctrina eorum juribus præjudicans contineri LUCÆ XX. v. 25. qui tamen jussi deinceps non prædicare ACT. APOST. IV. v. 19. respondentes dixerunt ad eos, si justum est in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum judicate.*

Quare illud imperantium jure comprehendendi agnoverunt, hoc non item conf. cl. EYBEL adumbratio studii jurisprudentiæ opusculum secundum cap. 4. Sect. I. §. 41. n. h.

(b) *CONCILIUM MOGUNTINUM apud HARDUIN. Tom. I. columna 1009. hæc verba ad CAROLUM MAGNUM dirigit. De his tamen omnibus valde indigemus vestro adjutorio, atque sana doctrina, quæ & nos jugiter admoneat, atque clementer erudiat, quatenus ea, quæ paucis sup̄ter capitulis perstrinximus, a vestra auctoritate FIRMEN-*
TUR,



TUR, si tamen vestra pietas dignum judicaverit, & quidquid in eis **EMENDATIONE** dignum reperitur, vestra magnifica imperialis dignitas jubeat **EMENDARE**. Ex quo patet, patres hujus concilii agnovisse, decreta sua Imperatori remonstranda esse, atque si is judicaverit corrigi debere.

S. LEO III. Pontifex ad LUDOVICUM IMPERATOREM AN. 815. Nos si incompetenter aliquid egimus, & in subditis justæ legis tramitem non conservavimus: vestro, ac missorum vestrorum cuncta volumus **EMENDARE** judicio. Apud Gratian. Caus. II. Quæst. VII. can. 41.

S. POLICARPUS Smyrnensis episcopus, atque JOANNIS EVANGELISTÆ discipulus apud Eusebium die IV. cap. 15. Proconsuli ita loquitur: Tibi quidem rationem reddere non me piget. Præceptum enim nobis est, ut magistratibus, & potestatibus a Deo constitutis honorem debitum exhibeamus.

Atque hinc est, cum S. AUGUSTINUS de Civitate Dei Lib. 9. cap. 17. ita scripserit. Civitas autem cælestis, vel potius pars eius, quæ in hac mortalitate peregrinatur, & vivit ex fide, etiam ista pace utatur necesse est, donec ipsa, cui talis pax necessaria est, mortalitas transeat. At per hoc dum apud terrenam civitatem velut captivam vitam suæ peregrinationis agit, jam promissione redemptionis, & dono spirituali tamquam pignore accepto legibus terrenæ civitatis, quibus hæc administrantur, quæ sustentandæ mortali vitæ adcommodata sunt, obtemperare non dubitat, ut quoniam communis est mortalitas, servetur in rebus ad eam pertinentibus inter civitatem utramque concordia. Hæc igitur cælestis civitas, dum peregrinatur in his terris, ex omnibus gentibus cives evocat, atque in omnibus linguis peregrinam
colli-



colligit societatem, non curans, quidquid in moribus, legibus, institutisque diversum est, quibus pax terrena vel conquiritur, vel tenetur, nihil eorum rescindens, nec destruens imo etiam servans, ac sequens &c.

Quid vero aut ad conquirendam, aut tenendam terrenam pacem, seu felicitatem civium temporalem efficacius, quam placetum regium, cum constet, eam etiam iis, quæ constitutionum ecclesiasticarum nomine veniunt, turbari posse §. 4. *conf. omnino PET. DE MARCA concord. Sacerd. & Imp. Lib. IV. cap. 4.*

§. VII.

Quid enim legislatores ecclesiastici suas nondum promulgatas constitutiones eorum inspectioni submittere timeant, qui sui officii esse sciunt leges ecclesiasticas sua auctoritate munire §. 2. cum norint, *res aliter tutas esse non posse, nisi ea, quæ ad divinam confessionem pertinent & regia, & sacerdotalis defendat auctoritas S. LEO. P. I. apud Gratian. Cauf. 22. Quæst. 5. can. 21.*

Cognoscant principes sæculi Deo debere se rationem reddere propter ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt. Nam sive



augeatur pax, & disciplina ecclesiæ per fideles principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam ecclesiam credidit. Cauf. 23. Quæst. 5. can. 20. Atque huc spectat, quod EUSEBIUS in vita CONSTANTINI Lib. I. Cap. 44. ipsum communem episcopum a Deo constitutum appellet ob impensam scilicet ecclesiæ, & episcopis curam, & patres concilii moguntini primi CAROLUM MAGNUM veræ religionis Rectorem vocare non dubitarunt.

§. VIII.

Enimvero an constitutionibus ecclesiasticis vere talibus determinationes cum salute civili impossibiles inesse possunt? §. I. 4. De quo solummodo imperantes politicos in remonstratione legum ecclesiasticarum earum promulgationem præcedente judicare posse statuitur.

Quare



Quare eant, qui ita principibus sæcularibus iudicium, atque potestatem in sacra tribui clamant, quid enim princeps constitutionem ecclesiasticam promulgandam inspiciens iudicat? nisi annon forte aliquid salutis populi suæ curæ divinitus concrediti §. 1. 3. repugnans contineat, nisi an & hic cæsari, quod cæsaris est, reddatur. Est præterea princeps ecclesiæ territorio suæ civitatis comprehensæ defensor, atque advocatus §. 2. an itaque hoc advocatiæ ecclesiasticæ officio rite fungi poterit, si ei leges eam obligaturas inspiciendi, atque an ejus salutis convenient, copia negaretur, cum *non obsint salutis credentium diversæ pro loco, & tempore consuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona, quæ potest, uni Deo commendat omnes.* LEO P. IX. in epi-



stola ad MICHAELEM IMP. *Adde*
DIST. XI. *can.* 8.

§. IX.

Est præterea præcipua lex religionis christianæ CIVITATIS DEI lex charitatis, cui nihil adeo repugnaret, quam si ejus antistites quacunq; ratione in exercitatione suorum jurium efficerent, ut regibus necessaria *ad conquirendam, & tenendam terrenam pacem* S. Augustinus de civit. Dei lib. 9. cap. 17. remedia deessent, neque sub iis, omnibusque, qui in sublimitate sunt, *quietam & tranquillam vitam* II. TIMOTH. II. v. I. agere liceret.

Siccine, inquires, principes civiles jure leges ecclesiasticas inspiciendi gaudebunt, cum tamen imperanti unius civitatis leges civitatis alterius explorandi copia non sit, licet hæ alteri civitati noxiæ esse possint, an non potius idem de legibus ecclesiasticis dicen-



dicendum erit? cum ecclesia non minus ab imperio civili independens sit §. I. quam una civitas ab altera. Verum quando civitas una leges in alterius civitatis territorio promulgandas condit? quod tamen ab ecclesia fieri manifestum est, cum *non respublica sit in ecclesia, sed ecclesia in republica* S.

OPTATUS EPISCOPUS MILLEVITANUS *Lib. 3. adversus Parmen.* Et si unam civitatem Leges alteri reipublicæ nocivas condere contingit, an non hæc earum noxios effectus primum incruentis, tum vero cruentis remediis impediendi jus habet? ut adeoque jus imperantis civilis respectu ecclesiæ, & alterius civitatis idem sit, & tantum nomine, & quoad exercitii modum differat.



§. X.

Sed non solum in charitate perfectissimos §. 9. verum etiam ab omni dominatu alienissimos esse voluit ecclesiæ christianæ antistites auctor ejus mansuetissimus LUCÆ Cap. XXII. v. 24. quem profecto redolerent, si prætenso nescio quo suæ potestatis, quæ utpote ejusdem cum politica authoris §. 1. huic repugnare nequit, §. 8. dispendio, legum a se latarum promulgationem a principum placito immunem esse contenderent, atque sic erepto gravissimorum sæpe civilium incommodorum præcavendorum remedio §. 5. civitates lugubri fato involverent. §. 4.

Promulgatio de essentia legis est, quod si itaque hæc placito regio adstricta est, ipsam legum ecclesiasticarum essentiam ab imperio civili pendere necesse est. Absit. Enimvero id tum demum sequeretur, si inspecto, nihil in constitutione ecclesiasti-



ca reipublicæ nocivum contineri, adhuc a principis arbitrio publicationem legis ecclesiasticæ fieri, vel non fieri penderet, quod nequaquam placeti regii idea comprehenditur. §. 5. Audiamus enim celeberrimum quondam Pragenfium profectorem NEUMANUM in anot. ad Schwed. Jus publ. *Quamvis princeps omnes declarationes pontificias in materia articulorum fidei item in materia morum, nec non leges positivas ecclesiasticas circa ritus ministerii spiritualis, & ea, quæ sunt mere spiritualia recipere teneatur, tamen constitutiones positivas mere ecclesiasticas circa ea, quæ incurrunt ad materiam temporalem, licet in illis decentia aliqua ad finem spirituales subsit, recipere non tenetur, si ejusmodi constitutiones in grave detrimentum finis temporalis vergant, & ad obtinendum finem spirituales beatitudinis æternæ non sunt necessariæ conf. VAN ESPEN tract.*



de promulg. leg. eccles. Parte I. cap.
3. §. 3.

§. XI.

Quid, quod legislatorum ecclesiasticorum auctoritas, quæ sub causa religionis maxima esse solet, constitutionum ecclesiasticarum diversissimarum frequentia, atque gravitas, quarum effectus in vitæ civilis communionem latissime extenduntur, ac denique humana legislatorum ecclesiasticorum fragilitas. §. 4. (a) Satis superque demonstrent, quam parum usus ab abusu distet, quamque is perniciosus foret §. 4. nisi ejus præcavendi remedia potestate civili, quam ad suum finem obtinendum sufficientissimam sapientissimus ejus auctor esse voluit §. I. continentur.

(a) *Multi sunt, qui indiscussos potestate tyranica, non canonica auctoritate damnant, & sicut nonnullos gratiæ favore sublimant, ita quosdam odio invidiaque permoti humiliant.* SANCTUS AUGUSTINUS
Caus.



Caus. XV. Quæst. VII. can. I. *Omnis ecclesiasticus Zelus fervet sola pro dignitate tuenda.*
S. BERNARDUS de considerat. Lib. 4. Cap. 2.

§. XII.

Et quando quidem nulli non constat, iis quos Spiritus sanctus posuit regere ecclesiam Dei in conciliis congregatis, atque ecclesiasticas constitutiones laturis principes civiles, aut eorum oratores interfuisse non solum, ut cætus hosce auctoritate sua tuerentur, sed præcipue ut attenderent, ne quid contra publicam utilitatem, adversus jura regni, ecclesiæve suæ particularis statueretur, quis visa omnimoda rationum identitate leges ecclesiasticas extra concilia latas ante ipsarum promulgationem principibus politicis remonstrandas negabit.

Patres synodi ARAUSICANÆ II. postquam contra hæresim pelagianam 25. canones expresserunt, ita subjungunt:

Et quia definitionem antiquorum patrum,



nostramque, quæ supra scripta est non solum religiosis, sed etiam laicis medicamentum esse & desideramus, & cupimus, placuit, ut eam etiam & illustres, & magnifici viri, qui nobiscum ad præfatam festivitatem convenerunt, propria manu subscriberent. Quod etiam fecerunt, videantur eorum subscriptiones tomo IV. conciliorum columna 1673. ad calcem.

Rogamus inquit patres concilii æcumenici CONSTANTINOPOLITANI ad THEODOSIUM IMPERATOREM, tuam clementiam, ut per literas quoque tuæ pietatis confirmetur concilii decretum, ut sicut literis, quibus nos convocasti, ecclesiam honore prosecutus es, etiam finem eorum, quæ decreta sunt, obsignes.

MARTIANUS IMPERATOR apud gratian. Dist. 96. can. 2. Patres concilii CHALCEDONENSIS ita allocutus est. Nos ad confirmandum, non ad potentiam
osten-



ostendendam exemplo religiosissimi principis Constantini synodo interesse volumus, ut veritate inventa non ultra multitudo præviis doctrinis attracta discordet.

Neque hæc olim tantum, sed etiam in novissima Synodo TRIDENTINA observata sunt, mandatum enim CAROLI V. quo is tribus oratoribus vires suas commisit ita sonat in actis hujus concilii *sess. II. Nostrum locum ut oratores, & mandatarii nostri habere, res, & negotia religionis, & fidei, & alia quæcunque in prædicto concilio tractandi una cum aliis &c. per omnia adesse consilium, votum & decretum, nostro nomine dare, impertiri, atque interponere.*

Simile est mandatum, quo FERDINANDUS I. suos ad dictam synodum ablegatos oratores instruxit: *locum, & vires nostras in omnibus sessionibus, consultationibus, deliberationibus, tractationibus,*



nibus, & actibus obtinere, & gerere, consilium, suffragium, votum, & decretum nomine nostro dare, ferre, & interponere, aliaque omnia agere, tractare, exercere, concludere, & determinare possint, & debeant, quæ ad constituendam veræ fidei, & religionis concordiam & unionem, ac christianæ reipublicæ salutem, & conservationem promovendam facere, & spectare videbuntur. Et

quis ignorat, quanta nunquam non fuerit regum francorum in synodis nationalibus auctoritas, ex quo colligere licet, summam debuisse eorum in tuendis sui regni, & ecclesiæ suæ particularis juribus auctoritatem esse, quorum tanta fuit in iis, quæ religionem, & fidem concernebant, confirmandis. *Conf. VAN ESPEN tract.*

de promulg. leg. eccles. Parte V. Cap. I.

§. 2. *Cl. DE RIEGGER in jurisprud. eccles. Parte I. Sect. 2. cap. 8. Princip.*

Juris



*Juris eccles. germ. cap. §. 13. Adde
BULLAS PAULI III. JULII III. PII IV.
indictionis, resumptionis, & celebrationis
concilii TRIDENTINI.*

§. XIII.

Est præterea firmissima, & indubitata
juris regula, quod si quando uni civitati
aliquid in ecclesia salva religione licuit,
id omnibus civitatum Rectoribus compe-
tere. Manifestum ergo est omnibus prin-
cipibus politicis leges ecclesiasticas pro-
mulgandas inspiciendi jus esse §. 5. cum
plurimos eo ecclesia adprobante usos esse
constet. §. 2. 6. & 12.

Insignis est NOVELL. XVII. cap. XI.
locus, ubi IMPERATOR TRIBONIA-
NUM *quæstorem sacri palatii* sic adloqui-
tur: *Neque occasione religionum, hærest-*
umque quæstionis permittas alicui provin-
ciam commovere, aut aliter quandam
præceptionem injungi provinciæ cui præ-
sides.



sides. Ipse vero providebis cum compe-
tenti utilitate fiscalibus, & quæ alia sunt
perscrutari, & non permittere fieri ali-
quid contra nostras præceptiones occasione
religionum. Si vero canonicum sit, quod
queritur, una cum metropolitæ provinciæ
hoc disponere, & decernere, sive episcopi
dubitent, sive alii quidam: & causæ dare
amabilem, & decibilem terminum, qui
& decenter orthodoxam custodiat fidem,
& indemnitatem, & nostros subjectos
servet inviolatos. Quid in his de pla-
ceti regii notione deest, nisi nomen?
Quare egregia est RENAT. CHOPPIN.
de sacra politia Lib. III. cap. I. super
præsente materia philosophia. Dum
principes jure magistratus nonnunquam
explorant, rescinduntque præsulum acta
vei gesta in contemptum veteris ecclesiasti-
cæ disciplinæ, aut ejus, quam habent in
profana jura, auctoritatis, id recte faci-
unt, quasi sacre politicæ, legumque custo-
des,



des, qua in parte sublata eorum majestate ac potestate publicum statum collabi necesse esset.

§. XIV.

Atque hinc est, cur principes, quos ecclesia insuper ob ingentia in religionem christianam merita honorificentissimis christianissimi, fidelissimi, catholici, apostoloci, aliisque titulis insignivit, hoc jure uti nunquam dubitaverint, nec dubitent.

Quæ historicis monumentis illustrabo.

LUDOVICUS GUICCIARDINUS nobilis florentinus in descriptione belgii de hoc usu ita scribit: Quod res ecclesiasticas attinet, easdem fere habet cum pontifice maximo princeps in hac ditioe conventiones, quas in regno galliarum Rex, nec beneficium ullum, nec gratiam potest conferre, nec expedire in hanc terram diploma, aut quid aliud tale, quod effectum

for-



*fortiatur absque principis, vel consiliorum
 ejus placito, atque consensu. DIDACUS
 CAVARRUVIAS episcopus segoviensis, qui
 a ducentis & ultra annis scripsit,
 usum placiti regii in regnis hispania-
 rum jam pridem receptum esse testa-
 tur. Cap. 5. pract. quest. num. 4. ubi
 ita differit. Apud hispanos potestas
 legatorum, seu nunciorum sedis apostoli-
 cæ examinatur, ut admoneri possint a sum-
 mo regis prætorio, quibus uti conveniat
 dispensationibus, & commissionibus, nec
 quid fiat in reipublicæ dispendium.
 Subjungit, sic etiam in his regnis multis in
 casibus, & negotiis literæ apostolicæ ante
 executionem earum ad regia mittuntur au-
 ditoria, & tribunalia, idque fit ex regio
 decreto, ut illic examinentur, ne quid fiat,
 & obtineatur falsis precibus, & impor-
 tunis suggestionibus a summo pontifice ad-
 versus regni, regumque hispaniarum pri-
 vilegia, & apostolicas concessiones. Vid.*



FRANCISCUS SALGADO *tract. de supplicatione ad sanctissimum*, ubi de retentione, & suspensione bullarum pontificiarum tamquam re apud hispanos notissima late agit.

Apud gallos nullam legem pontificiam, aut rescriptum curiæ romanæ publicari, aut executioni mandari posse, nisi prius in supremo regis iudicio examinata fuerint, & probata, notius est, quam ut probari debeat, probaturque hic usus *integro capite X. inter probationes libertatum ecclesiæ gallicanæ*, ubi etiam vetusta admodum huius usus & praxeos exempla proferruntur, & parlamenti arresta.

In germania nostra RUDOLPHUS II. legatum apostolicum anno 1586. a promulgatione BULLÆ COENÆ DOMINI cohibuit, quam in bohemia cum status illius perturbatione publicare cœperat, qui imperator simul hac oc-



caſione generaliter edixit, ne ullæ bullæ pontificiæ deinceps, *nifi ſe conſcio*, & *probante* emmitterentur in lucem, atque executioni mandarentur, quod edictum etiam ad episcopos ſileſiæ, & moraviæ direxit. *Vid. probat. libert. eccleſ. gallicanæ cap. 7. num. 54.*

In ſabaudia ab antiquo hunc placeti uſum fuiſſe ſufficienter probatur ex deciſione ſenatus ſabaudici, quam ANTONIUS FABER *refert in ſuo codice lib. 7. tit. de appellat. ab abuſu*, ubi *refert cenſuiſſe ſenatum, recte poſſe appellari ab executione brevis apoſtoli- ci, quamvis æquiffimi hoc ſolo titulo, quod inconſulto ſenatu facta ſit publi- catio, ne principis juridiſctio impune contempta videatur.*

De Regno neapolitano videatur pragmatica data 30. Auguſti anno 1561.



DE AUSTRIA nostra videantur re-
scripta FERDINANDI III. & LEOPOL-
DI A. A. quæ exstant in COD. AUST.
voc. geistliche und päpstliche Bullen. Conf.
Pet. DE MARCA concord. sacerdot. & Imp.
Lib. II. cap. 10. §. 9. cap. 16. §. 4.
VAN ESPEN tract. de promulg. leg. eccles.
Parte II. cap. I. COVARRUVIAS prac.
quæst. cap. 35. num. 4. Cl. BARTHEL.
in Dissert. de jure reformandi antiquo art.
8. §. 24.

§. XV.

Et quid tandem, cum res aliter tutæ esse
non possint, nisi quæ ad divinam confessionem
pertinent, & regia, & sacerdotalis defendat
auctoritas CAUSA XXII. Quæst. 5. can. 21.
ad obligandum, ad sectandum, quæ pacis sunt,
& ad custodiendum in invicem; quæ ædificant
PAUL. AD ROM. XIV. v. 19. efficacius
esset legibus ecclesiasticis, si eas non nisi
principum ecclesiæ advocatorum, & po-
puli



puli fui patrum placeto munitas promulgari constaret, ita *status Imperii gloriosius regeretur, ita sanctæ ecclesiæ vigor solidaretur*
 GREG. VII. lib. I. epist. 19. *ita sacerdotium divinis ministeriis, imperium vero humanis præsidens, ac diligentiam exhibens, ex uno eodemque principio utraque procedentia humanam vitam exornarent.* JUSTINIAN. Novell. VI. & *alterum prosperis alterius successibus incrementa sumeret.* THEODOSIUS in epist. ad Cyrillum apud Edmundum Richerum hist. concil. general. Lib. I. cap. 7. §. 2.

§. XVI.

Atque ex his, quis fit placeti regii scopus, manifestum est, qui cum intuitu constitutionum dogmaticarum non minus, quam disciplinarium, nec non earum, quibus censuræ ecclesiasticæ irrogantur, semper unus idemque manet, confectum est, placetum regium & ad has, & ad istas, atque illas pertinere.

Sed



Sed dogma qua tale nullas cum salute temporali impossibiles determinationes complectitur, soliusque infallibili ecclesiæ iudicio subest? Verum non statim dogma est, quod tale esse perhibetur, neque princeps remonstracionem dogmatis exigens super dogmate iudicat, sed tantum ne ejus nomine, aut occasione reipublicæ noceatur providet, præcavet, quemadmodum intuitu aliarum constitutionum ecclesiasticarum facit, quæ etiam nihil civitati noxium continere, & ad veram ecclesiæ utilitatem spectare possunt, quid an dogmata non erant ea, quæ Apostoli prædicabant, quorumque rationem, si quæ petebatur, reddere nunquam recusabant §. VI. an non etiam de dogmatibus in conciliis actum est, quibus principes auctoritate sua interfuerunt §. XII. sed & dogmata, & censuras, aliasque con-



stitutiones ecclesiasticas principum politicorum authoritate defendi necesse est §§. II. VII. quod tunc potissimum fieri constat, quando eæ principum politicorum placito muniuntur. §. XV. vid. cl. de MARTINI Posit. de Jure civitatis cap. 8. §. 230.

§. XVII.

Sed & illud ad placeti regii scopum pertinet, ut non tantum, ne quid civitatis juribus præjudiciosum leges ecclesiasticæ promulgandæ contineant, exploretur, verum etiam, ut caveatur, ne in ipso eas promulgandi actu reipublicæ noceatur. Quare completo placeti regii conceptui etiam jus normam in promulgatione legum ecclesiasticarum observandam præscribendi inesse necesse est §. V.

Quid enim prodesset, legibus ecclesiasticis nihil quidem salutis publicæ noxium contineri, si tamen modus eas pro-



promulgandi reipublicæ damnosus esset. Quare non dubitarunt, nec dubitant principes religiosissimi etiam hac in parte spartam suam tueri. Id quod ostendit

- 1) Novella 123. cap. II. quam JUSTINIANI constitutionem laudat can. 6. causa XXIV. Quæst. III. & sæculo IX. Confirmarunt IMPERATORES LEO & CONSTANTINUS, vid. JUSTELL. & VOELL. Bibliothec. Jur. Can. vet. tom. II. fol. 969.
- 2) CAPITULARIA REGUM FRANCORUM vid. BALUZ. tom. I. col. 961. tom II. col. 36.
- 3) TRANSACTIO inter RUDOLPHUM II. & URBANUM EPISCOPUM PASAVIENSEM anno 1596. quæ refertur in corp. Jur. Eccles. Austr. pag. 273.



- 4) CONSTITUTIO JOSEPHI I. quæ in corp.
Jur. Eccles Bobem. pag. 172. refertur.
- 5) CONSTITUTIONES MARIÆ THE-
 RESIÆ una de anno 1765. relata
 ibidem pag. 226. altera de anno
 1768. relata ibid. 183. Conf. cl.
 de RIEGGER *dissert. de pœnit. &*
pœn. eccles. §. 114. & seq.

§. XVIII.

Cum vero regula quæcunque scopo suo destitueretur, nisi is, qui eam ponit, attendere, atque efficere posset, ut ea accuratissime observetur, manifestum est, placere regio etiam aliquam inspiciendi, & exequendi potestatem comprehendendi §. II. quæ eo spectat, ut principes per commissarios suos normam publicationi legum ecclesiasticarum præscriptam §. XVII. manteneant, & ad eam, si negligatur custodiendam mediis idoneis compellant.

Quod



Quod jus principes pro re nata triplici modo exercent.

- 1) Læsis recursum dando, eosque contra injurias eatenus evenientes tuendo.
- 2) Cassando ea, quæ contra modum præscriptum gesta sunt.
- 3) Si necesse sit, in bona clericorum præscriptum modum transgredientium immittendo, aliis pœnis necessariis civilibus in eos animadvertendo. *Conf. cl. de MARTINI Posit. de Jur. civit. cap. 8. §. 233. Cl. de RIEGGER Dissert. de pœnit. & pœn. eccles. §. 117. & seq.*

§. XIX.

Atque ex his completus placeti regii conceptus formari, atque principia, quibus ejus justitia innititur, colligi possunt: quorum cum nullum ad stabiliendam legum civilium remonstrationem ante ea-



rum promulgationem legislatoribus ecclesiasticis faciendam trahi potest, in comperto est, omnem placeti ecclesiastici æquitatem heri fingi cœptam cerebrinam esse, cum non nisi earundem rationum eadem rationata esse perspicuum sit.

Age igitur quid placeti regii principibus hætenus stabilitis pro placeto ecclesiastico præsidii insit, videamus. Principibus omnem civitatis suæ læsionem præcavendi jus esse diximus §. 3. quæ cum etiam ex legibus ecclesiasticis optimo licet legislatorum ecclesiasticorum animo conceptis, aut earum occasione oriri possit §. IV. summum civitatis rectorem eam placeto suo præveniendi jus esse diximus §. V. An non ecclesia etiam jus læsiones præcavendi habet, quibus adeoque cum etiam per leges civiles enasci possunt, leges civiles inspiciendo occur-



currat oportet? sed respondeo, ne incurramus lepidum illud Horatii:

*Delphinum silvis, appingit, fluctibus
aprum.*

Juris illius, quod civitatis vocant, interpreti ex civitatis, atque majestatis sine ratiocinandum est. Verum jus ecclesiasticorum interpreti nonne omnes ex sacra Scriptura, traditione, conciliorum universalium decretis, ecclesiæ per orbem totum diffusæ consensu, Pontificum constitutionibus, atque Patrum sententiis conclusiones conficiendæ sunt. Erronea itaque, & fallibilia sunt in tradendis ecclesiæ juribus ejusmodi ab analogia civitatis petita argumenta, ita enim dominatum, seu *fumosum sæculi thyphum* Patres Africani e Synodo generali Cœlestino Pontifici rescribentes, ita monarchicam regiminis formam, aliaque in ecclesiam Christi inducere necesse



cesse esset. Quare Christi, Apostolorumque exempla, Conciliorum, Pontificum, atque Patrum testimonia proferenda sunt. Nonne Apostoli ac lubenter quidem suæ doctrinæ rationem, si quæ requirebatur, dabant §. VI. quin tamen unquam legum civilium rationes exegerint probe memores illorum Christi: *Homo quis me divisorem constituit, aut judicem super te* LUCÆ XII. v. 14. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt* MATTH. X. v. 28. *Et eritis odio omnibus propter nomen meum, qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit.* MARC. XIII. v. 13. *In patientia vestra possidebitis animas vestras:* LUCÆ XXI. v. 19. Atque hæc sunt, quibus Christus eos, quos Spiritus sanctus posuit regere ecclesiam Dei, contra persecutiones ecclesiæ instruxit. *Dolere poterò, poterò flere; adversus arma, milites,*



tes, gothos quoque lacrimæ meæ arma sunt, talia enim munimenta sunt sacerdotis, aliter nec debeo, nec possum resistere

SANCTUS AMBROSIUS *in sermone contra Auxentium num. 2.* Insigne totius officii intuitu promulgationis legum civilium, quæ noxiæ ecclesiæ viderentur, specimen dedit GREGORIUS M. P. *lib. 2. epist. 62.* IMPERATORI MAURITIO ita scribens: *Ego quidem jussioni subjectus eandem legem per diversas terrarum partes transmitti feci, & quia lex ipsa omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimis dominis meis nunciaui. Utrobique ergo, quæ debui, exsolvi, quia & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod sensi, minime tacui.*





ASSERTIONES

EX

JURE UNIVERSO.

I.

Quamvis vitam, membra, & pudicitiam cum nece aggressoris defendere liceat, id tamen in defendenda fama admitti nequit.

II.

Autochiria, Polyandria simultanea absoluta, & duellum repugnant legi naturali, non item Polygynecia.

III.

Testamenta in Jure naturali fundamentum habent, non vero usucapio.

IV.

Majestas est independens & summa, quam non habet tutor regius.

V.

Legati ab imperio, & jurisdictione gentis apud quam degunt, sunt immunes.

VI.

Innoxius civis ad servandam civitatem hosti extradi potest.

VII.

Germania monarchia est, sed ad leges imperii attemperata.

VIII.



VIII.

Pax Religiosa & Westphalica est valide, & licite inita.

IX.

Itaque Status Catholici causas ecclesiasticas subditorum Accatholicorum secundum eorum principia jure definiunt.

X.

Episcopi potestatem immediate a Deo habent, & in Concilio voto decisivo gaudent.

XI.

Judicium Pontificis non est irreformabile, sed Concilio subjacens.

XII.

Potestas sacra a politica adeo distincta est, ut una ab altera nequidem indirecte dependeat, jus tamen circa sacra principibus secularibus competit, & leges ecclesiasticæ sine placito regio promulgandæ non sunt.

XIII.

Immunitas clericorum & personalis & realis, nec non Azyla ex principum privilegiis descendunt, hinc ab Imperante civili possunt, & aliquando debent restringi.

XIV.

Potest princeps impedimenta matrimonii, etiam dirimentia, qua contractus statuere.

XV.



XV.

Tutor ob dolum remotus fit infamis,
ob culpam latam non æque.

XVI.

Periculum rei in specie venditæ emptorem respicit.

XVII.

Exceptio non numeratæ pecuniæ etiam post biennium locum habet.

XVIII.

Negotiorum gestor in regula ad culpam levissimam tenetur.

XIX.

Jusjurandum in judicio actor, etiam si nihil probaverit, reo sine injuria defert.

XX.

Testamentum solemnitatibus destitutum pro utroque foro nullum est.

XXI.

Reus legitime interrogatus nudam tenetur fateri veritatem.

XXII.

Tortura exceptis paucis casibus illicita est.

XXIII.

In causis imperii feudalibus solus iudex Imperator est, nec consilio parium curiæ opus habet.

XXIV.

Felonia a vasallo commissa vi Capitul. Cæs. agnatis innocentibus non nocet.

amis,
npto-
tiam
cul-
amfi
t.
esti-
te-
ici-
ju-
um
oi-
.

Narodna in Univerzitetna
 Knjižnica
 00000320773

C0BISS



